

aludo 3

Clarissimo viro Johanni Ioffelholz Hurenburgensi iuris imperialis cultori et studio humanitatis excellentissimo. Petrus Danhuser. artium magister felicitate

Beatus Anselmus ordinis sancti benedicti professor ornatissime vir theologus per quem fuit ameni ingenii doctrina quam ista utiliore ac delectabili. Veterumque sacrarum dogmatum memoria multum fuit: is scripta omnia antiquiora: tam curiose spectat: religionem christianam cernentia aut dogmata ponderat: aut precepta rimatur. ut videre mihi videor eum diuo Hieronimo qui tam multarum rerum peritia et eloquentia summa calluit: mirabili quadam ingenii acrimonia: plene parem atque comparandum. Sed cum Hieronimi quidem monumenta rerum ac disciplinarum: que per litteras condidit in propatulo: frequentius vsu feruntur. Anselmi autem opera viri sanctimoniam ac castitate precipui non perinde in vulgus exeunt et doctrina subtilitasque eorum tanquam parum utilis est derelicta velut ignis abstrusus in venis silicium. Que tamen multum salis et veritatis christiane religioni accommodant. Ego etsi non summo ingenio institutus tamen obliuionis iniuriam docti viri simul et sancti egerrime ferens: cordi iam habeo illa qua potis sum cumque auctoritate eneo officio meis impensis imprimere: nominis quoque tuo grauissimo dedicare ut a magnitudine tua sperem me si non magnam laudem bonam tamen iudicij mei veniam consecuturum. sperans rem deo gratam. religioni christiane accommodam: tibi iocundam fore. Nam testor deum: non temere factum. Ea opera a tenebrarum sordibus in splendidam lectionum lucem reuocatum iri: que aut ingenia prompta expeditaque ad salutis eterne cupidinem: vtiliumque artium contemplationem celeri facilique compendio ducerent: aut homines deuotos religiososque a turpi certe agrestisque rerum imperitia vindicaret. Non enim fecit beatus anselmus altos nimis et obscuros questionum sinus. Sed primitias quasdam et quasi libamenta ingenuarum artium theologie sacre dedit: ea opera precelset vir tibi dedico: quem cum amicissimum mihi: tum eximio litterarum amore flagrantem: dignissimum hoc mutuo inter nos caritatis pignore iudicavi ut quemadmodum tue nuncupationi omnes celeberrimi academiarum sectatores linguis animisque benigne fauere: sic tuis auspicijs primitie meorum studiorum immortalitatem assequantur. magna est in re militari virtus tua: maior in administrando concilio iusticia: maxima in omni disciplinarum genere prudentia tua: ad te igitur magnanime venientem suscipe libellum: et inter reliquos codices tuos quos et plurimos et doctissimos in celeberrimam bibliothecam tuam vndique collegisti. Hunc quoque anselmum fidei christiane amplificatorem tanquam illoz concomitem collocato. Non enim indignum erit inter tot sapientissimos viros quorum monumenta splendidissimo pluteo tuo seruantur illum etiam doctorem accedere. Quamobrem deum optimum maximum omnium bonorum operum autorem suppliciter precor: ut his meis ceptis ita aspiret: dexterisque ac volens adsit: ut cum eius ope et numine opera sancti anselmi iudicium commune meruerint reliqua alacriori animo persequi possim. id autem contigisse intelligam cum ceteros animaduertero huiusmodi operibus delectari. Tale ex vrbis Hurenbergensi. 22.